

manarum rerum prorsus ignaris, post multum temporis, subito in hæc loca quæ incolimus contingat emergere, dubium non erit, quin cernentes cælum terras & maria, nubes quoque cælo vagas, & ventos & pluuias, adhuc & Solem diuinæ lucis auctorem, dum redit auro-ram terris inuehere, & tempus laborantibus aptum mortalibus, rursus abeuntem quietæ nocti silentiôque cedere, illam verò sydereo ornatu, aut crescentis semper aut decrescens lunæ varietate distinctam, atque hunc mirabilem totius orbis ordinem, & hæc omnia non fortuito, sed certis immotis legibus agi, summa cum ratione, statim sine vlla dubitatione fateantur Deum esse, vt audierint: Seque hæctenus in ædificiis hominum habuisse, huius autem pulcherrimi & immensi operis creatorem, & vt ita dixerim, architectum Deum fore. Hæc prope modum Aristotelica sententia est, non suis verbis expressa, sed quidem aliter, licet aliter Apostolus noster ait: Inuisibilia Dei à constitutione Mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius ac Diuinitas: Sed ad Aristotelem reuertor, cuius quo-